

tergora diripiunt costis et viscera nudant,
 pars in frusta secant veribusque trementia figunt,
 litore aëna locant alii flammisque ministrant.
 tum victu revocant viris fusique per herbam
 implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae. 215

postquam exempta fames epulis mensaeque remotae,
 amissos longo socios sermone requirunt
 spemque metumque inter dubii, seu vivere credant
 sive extrema pati nec iam exaudire vocatos.

praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti, 220
 nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
 fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
 despiciens mare velivolum terrasque iacentis
 litoraue et latos populos, sic verticæ caeli 225

constitit et Libyae defixit lumina regnis.
 atque illum talis iactantem pectore curas
 tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis
 adloquitur Venus: 'o qui res hominumque deumque
 aeternis regis imperiis et fulmine terres, 230

quid meus Aeneas in te conmittere tantum,
 quid Troes potuere, quibus tot funera passis
 cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
 certe hinc Romanos olim volventibus annis,

hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri, 235
 qui mare, qui terras omni dicione tenerent,
 pollicitus — quae te genitor sententia vertit?

hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
 solabar fatis contraria fata rependens;
 nunc eadem fortuna viros tot casibus actos 240

insequitur. quem das finem rex magne laborum?
 Antenor potuit mediis elapsus Achivis
 Illyricos penetrare sinus atque intuma tutus
 regna Liburnorum et fontem superare Timavi,

unde per ora novem vasto cum murmure montis 245
 it mare proruptum et pelago premit arva sonanti.
 hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit